

FRANCISCUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

dilecto filio **Roberto Repole**, e cleico archidioecesis Tauzinensis ibique hactenus Canonico et Docente, eiusdem Archiepiscopo Metropolitae nominato una et sacrorum Antistiti Sedis Segusiensis in persona Episcopi unitarum, salutem et Apostolicam Benedictionem. Pacis benedicamus Domino, gaudentes cum gaudentibus ac flentes cum flentibus, id ipsum invicem sentientes, sed humilibus consentientes ~ Rom 12, 14-16 ~, et benignitatem Christi celebremus ac sapientiam, qui in omnibus mala patientibus conspiciendum et diligendum se tradidit, ut, in eis eius agnoscentes imaginem, perficeremus nos in caritate ac mundum ad praeceptorum eius dignitatem conformemus. Quibus fidei et conversationis sustentati mandatis, paternam dilectione ad spirituales necessitates mentem flectimus Sedium Tauzinensis et Segusiensis Nobis dilectarum, quae, vacantes in praesens post renuntiationem sacrorum Antistitis Venereabilis Fratris Caesaris Nosiglia, novum suum expectant Pastorem. De te ergo, dilecte fili, cogitavimus, qui, cum iuris iam meritis in sacra Theologia docenda, pastoralibus humanisque dotibus una ac doctrina et pietate in eandem communicanda ornatus videaris, quae aptum te efficiunt ad tantum munus explendum. Proinde, audito consilio Congregationis pro Episcopis, Apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, te Archiepiscopum Metropolitanam **Tauzinensem** atque Episcopum **Segusiensem** constituimus, debitis datis iuribus congruisque impositis obligationibus. Insuper, de consilio eiusdem Congregationis, Ecclesias Tauzinensem et Segusiensem inter se unimus in persona Episcopi, decernentes, ut tu, dilecte fili, unus idemque Antistes utriusque sis Ecclesiae. Ordinationem episcopalem ubivis extra Urbem, servatis liturgicis normis, a catholico Episcopo suscipere poteris; tuum autem erit antea fidei professionem dare et iusiurandum fidelitatis erga Nos Successoresque Nostros, ad ecclesiasticae legis normas. Hoc de Nro decreto edoceas volumus clericum et populum tibi commissos, quos exhortamur, ut te patrem diligendum magistrumque colendum accipiant. Haec suscipiens officia, dilecte fili, cures, Deo adjuvante et B.M.V. a Consolatione intercedente, ut fideles tibi commendati, caritatis tuae collustrante exemplo, semper rationabilia meditantibus, quae eis sunt placita, et dictis exsequantur et factis ~ cfr. L. II, Dom. VII per annum, ad I Vesperas, oratio ~. Datum Romae, Laterani, die undevicesimo mensis Februarii, anno Domini bismillesimo vicesimo secundo, Pontificatus Nostri nono.

Franciscus

Franciscus P. A. P. A.

